

est ex se malum : & non facit vlllo modo ad sensum textus.

Tremendum certe Dei iudicium, quòd talibus bestiis tantum licentiæ permisit vt gentem nobilissimam quasi sub pedibus oppressam teneant. Diligenter in meis annotationibus expressa est interrogatio, ex qua negatiua propositio elicitur. Quasi affirmauerim quod negabam, dextri isti interpretes somnium sibi ex porta cornea fingunt, me obligare homines ad mentiendum. Atqui scire velim, ex qua secta hoc habeant quòd tam libere mentiuntur, vbi nemo cogit. Vtinã saltem ista mentiendi libertas, quam sibi vsurpant, tot miseras animas non stringeret mortiferis laqueis, adeoque strãgularet. Adde quòd interpretatio illic addita omnem dubitationem eximit. Sic enim habent codices à me impressi, Super iure meo mentiri debeo? dolorosa est plaga mea sine transgressione. Ius vocat suã iustitiam & æquitatem. An, inquit, par est vt mentiar super innocentia mea? tacerene debeo meam innocētiam? Vulnus enim meum plenum est doloribus: vulnus, inquam, quod accepi nullo meo merito. Urgebant enim aduersarij eius,

d. iiii.